



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Sancti Bonaventuræ Episcopi Cardinalis Albanensis,  
Seraph. Doctoris Ecclesiæ, Speculum Disciplinæ, Et  
Profectus Religiosorum: Libelli ad pietatem vtilissimi**

**Bernardus <de Bessa>  
Bonaventura <Heiliger>**

**Antverpiæ, 1591**

De affectu gaudij. Cap. XVI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53148](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53148)

formata est, & contra rationem in furorem versa est, & quasi insaniã: vt more phrenetici irrationabiliter moueatur homo contra hominem, contra amicum & proximum, contra seipsum: aliquando etiam contra sanctos & contra Deum, & contra insensibilia & irrationabilia, quæ nec malè nec bene faciunt, nisi sicut natura impellit ea. Etiam vbi cognoscimus nos iniuste moueri, non possumus quandoque impetum iracundiæ cohibere.

*De affectu tristitiæ.*

CAP. XV.

**S**IMILITER affectus tristitiæ datus est homini, vt doleat de peccatis suis & alienis: & vt mœstus sit de dilatione patriæ, & timeat inferni supplicia, doleat de imperfectione sua, & compatiatur alienæ afflictioni: vt per maturitatem vtilis luctus, excludat leuitatem vanæ lætitiæ, quæ est nutrix dissolutionis. Sed hæc bona & secundum Deum tristitia peruersa facta, mutata est in tristitiam seculi quæ mortem operatur, in desperationem, diffidentiam, & irrationabilem mœrorem. 2. cor. 7. 10.

*De affectu gaudij.*

CAP. XVI.

**A**FFECTVS gaudij datus est homini, vt gauderet in Deo & in spe æternorum bonorum, & in intuitu beneficiorum Dei, & congauderet proximo in bonis eius, & delectaretur in laude Dei, & in bonis operibus, & fastidiret omnia vana & inutilia & iucundaretur in operibus diuinis, & ex hoc efficeretur alacer & agilis ad seruitutem Dei. Sed modo peruersus est per dissolutionem & vanitatem, vt ho-

mo

174 S. BONAVENTURAE  
mo gaudeat de infantiis falsis, & de affluentia  
temporalium rerum & honorum, & volupta-  
rum in risu & derisu & fabulis & turpibus lu-  
dis, & fastidiat omnia quae Dei sunt, & insipida  
sunt ei, & tædeat cum interest diuinis: & ex  
hoc pigritetur ad studia deuotionis & virtu-  
tis, & euagetur cor circa inutilia & vana &  
immunda, & grauiore labores corporis liben-  
ter sustineret in aliis occupationibus & nego-  
tiis, quam ut insisteret spiritualibus & diuinis:  
vnde accelerat ab eis absolui quanto citius po-  
test: & negligenter facit illud quod facit, nisi  
fortè lucrum vel laudem inde speret consequi,  
vel aliud commodum temporale. Ex inordi-  
nata autem tristitia gignitur tædiū boni, dum  
nil libet facere boni vel cogitare vel loqui. Si-  
militer ex dissolutione tædiū boni nascitur,  
dum tantum intenti sumus vanis leuitatibus,  
quod tædet nos spiritualibus studiis intende-  
re, & quasi anxiamur cum debemus auelli ab  
otio & iocis secularibus, & seriosis exercitiis  
occupari. Vnde quasi ligati caruli ad stipitem  
renitenti animo cogimur esse in diuinis, & hoc  
est acediae vitium & tædiū boni. In hoc multi  
religiosi laborant, & pauci superant.

*De affectu auaritia.*

CAP. XVII.

**A**FFECTVS autem auaritia datus fuit  
homini, ut esset cupidus magni meriti  
apud Deum, & magnarum virtutum & mul-  
torum bonorum operum, & ut multas animas  
lucraretur Deo, docendo, orando, bonum ex-  
emplum dando, & iuuando ad profectum sa-  
lutaris, & ut non esset homo contentus bono  
quod iam haberet, nisi laboraret ut multiplici-  
ter aueretur ei, & gratia, & opera virtutum.

Sed